

quòd faciat ferulam, qua pueros castiget: sic nec Deus, quòd homines creet, quos fecit impios fore, quibus alios flagellet. Hæc est causa, vt inquit Bassilius, quare Deus animalia venenata creauit. Hæc Nahum verba dicuntur Regi Ninæ, & posunt ipsi ciuitati accomodari. Rex enim & Niniuæ omnes ob eorum scelera in variis, & horribilibus calamitatibus incidunt. Illud est aduertendum, impiorum maleficium & immanitatem non semper manere, sed trāsire, quom ob causam ait: Super quem non transit malitia tua semper? Hoc iustus afflictiois consolatur intel ligere, fluxam esse & caducam impiorum vitam & tyrannidem, illisq; mortuis posse eosdem viros iustos ad gaudiū & tranquillitatem redire. Id intelligens Esaias capite decimo quarto loquens de interitu Nabuchodonosoris, Conquieuit, inquit, & siluit omnis terra: gauisa est, & exultauit. Abietes quoque lætate sunt super te, & cedri Libani. Vbi per has arbores homines significantur. Aspicias diuinum vatem Nahum terminare vaticinationem suam calamitatibus venturij, in regem Assyriam, eiusque ciuitatem Niniuem: nam tamen Esaias & multi alij prophete post opera consolentur populum in celsū, & afflictū, Nahum tamen nullam Niniuē vis subdit cōsolationem; quia illi idola colebant, & Messiam minime expectabant.

OBSERVATIONES EX
Hebræo in caput Tertium.



DCC E ego ad te, dicit dominus exercituum. Pro domino est in Hebræo nomen Dei quatuor litterarum, quod Hebræi vocant ineffabile, aiuntq; significare Deum quodammodo in natura sua. Ac re ipsa illis ineffabile est, quoniam eius mysterium non cognoscunt. Est enim in illo sacrosanctæ Trinitatis sacramentum adumbratum. Vnde in translatione Chaldaica ita scribitur non quòd illud lex vni silentio præterierit, sed quòd illi ex-

eo furore obstinati errorem eum lacte nutritis luxerint. Locis enim propè infinitis mysterium hoc continetur, quorum vnum duntaxat citabo, qui est Deuteronomij capite sexto, cuius ad litteram hæc sunt verba: Deus, Deus noster, Deus vnus est, Vbi ter nominatur Deus ad distinctionem personarum significantam, & vnus esse dicitur ad vnitatem naturæ ostendendam. Ita locum illum explanat Augustinus libro tertio aduersus Maximinum Arrianum, Alexander Summus Pontifex in epistola sua prima, Idacius Clarus in tractatione contra Varimandum, Anselmus Eadunensis in glossa interlineari, Gregorius Nyssenus in libro de cognitione Dei aduersus Iudæos. Theodoretus in libro de curatione Græcarum afectionum secundo, Petrus Galatinus libro secundo de arcanis catholicæ veritatis. Præter hos ita locum illum interpretatur Rabbi Simeon filius Iohai in libro, qui inscribitur Zoar, & Rabbi Menahem in capite sexto Deuteronomij. Pro exercituum est in Hebræo tsebaoth, in plurali a nomine, quod significat exercitum. Quare rectè vulgatus noster interpres traduxit: Dominus exercituum. Pro quo Septuaginta interpretes habent: *κύριος παντοκράτωρ*, hoc est dominus omnipotens. Significat etiam nomē hoc taba fortitudinem, & ornatum, & virtutem. Eo vitur Dauid Psalmo vgesimo tertio, cum ait: Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ, Pro quo Hieronymus vertit: Dominus exercituum, ipse est Rex gloriæ. Itaque idem est dominus tabaoth, & dominus exercituum, & dominus virtutum. Hæc autem virtutes non sunt illæ, quas morales, aut theologales appellamus, sed sunt fortitudines & exercitus. Per exercitus autem non solum hominum acies, sed astrorum, & angelorum significantur. Pro angelorū copiis videmus sumi Psalmo centesimo secundo Benedicite domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui factis voluntatem eius. Vbi per virtutes Dei, eiusque ministros idem significatur. Pro stellarum & coelorum ornatu Psal-

Bassilius.

Esai. 14.

Deut. 6.

August. Alexan. Idacius.

Laudu. Nyssena.

Theod.

Galatin.

Simeon

Menah.

Psal. 13.

Hieron.

Ps. 101.